



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

Capvt VII. De particularibus Tabulis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

Supereſt *Eccliptica* quæ ducitur per *Tropicum Capricorni*, & ſemicirculum C. D. qui repræſentat *Æquatorem* ſectum in *Librà*, & *Ariete*. Vt autem diuidatur in ſex ſigna abſoluatur ſemicirculus, & excurrat in S. diuidetur quadrans B. D. in tres partes, & ab iis ad A. trahentur lineæ, quæ ſecent lineam L. B. in ψ . χ . Tum ab iisdem punctis ψ . χ . ad S. ducentur lineæ quæ *Ecclipticam* ſecent: extenſio χ . dabit *Scorpionem* μ . productio ψ . *Sagittarium* ν . eodem modo ex alterâ parte *Amphoram* ω . & *Piſces* κ . inuenies: quæ planè eadem ſunt cum iis quæ in ſuperiori metho- do diximus de diuiſione *Ecclipticæ*; ſed, maioris lucis cauſâ, in figurâ intricatiori cenſuimus hîc eſſe repetenda.

Iſ modus delineandæ tabulæ venuſtiſſimus eſt, eoque vtuntur vulgò qui *Aſtrolabia* reſpectu alicuius loci concinnant. Et verò illius maximè ope, patuit noſtris Patribus ad *Sinas* aditus. Quoniam hi populi ferre non poterât in *Tabulis Geographicis* ſe in angulum, & extremum orbis compingi. Sed hac praxi eruditi homines, ambitioni eorum, fecère medicinam.

Prætermitto de induſtriâ Methodum *Petri de Roas*, in quâ paralleli magis dilatantur, quò magis ad *Æquatorem* accedunt; ſicut & *Meridiani*, in medio *Tabulæ* ampliores, ſenſim coarctantur, dum magis ad extrema *Tabulæ* vergunt. Quoniam deſumitur eorum diſtantia per lineas rectas protractas à partibus vnius quadrantis, ad partes oppoſiti alterius. *Meridiani* ducuntur per *Ellipſes*, paralleli per lineas rectas. Sed in re *Geographicâ*, rara eſt illius Modi mentio.

Videantur plura apud *Furnerium* noſtrum in *Hydrographiâ* ſuâ, vbi multa de *Tabulis* collegit, potiſſimum de *Hydrographicis*, & quomodo poſſint illæ ad *Geographicas* reuocari. Nec enim omnia dicere poſſumus, & ad alia magis neceſſaria feſtinamus.

CAPVT VII.

De Particularibus Tabulis.

COGNITA longitudine, & latitudine locorum, quæ in *Tabulâ* diſponenda ſunt; obſeruatur maxima, & minima latitudo, & attenditur proportio inuentorum parallelorum ad *Æquatorem*. Si diſcrimen non ſuperet quinq; gradus ſine vllâ incli-

K ij

natione duci possunt, secus ad sequentem tabulam attenditur, cuius is est vsus.

TABVLA PROPOR-
TIONIS PARALLE-
LORVM AD Æ-
QVATOREM.

ÆQVATOR	180
V	179 $\frac{1}{5}$
X	177 $\frac{1}{5}$
XV	173 $\frac{1}{5}$
XX	167 $\frac{1}{5}$
XXV	163 $\frac{1}{5}$
XXX	155 $\frac{2}{5}$
XXXV	147 $\frac{2}{5}$
XL	135 $\frac{4}{5}$
XLV	127 $\frac{1}{5}$
L	113 $\frac{2}{5}$
LV	104 $\frac{2}{5}$
LX	90
LXV	76
LXX	61 $\frac{1}{5}$
LXXV	46 $\frac{3}{5}$
LXXX	31 $\frac{1}{5}$
LXXXV	15 $\frac{2}{5}$
POLVS in pñctū definit.	

Describenda mihi offertur Gallia : primum ducō 10. parallelos à se inuicem æqualiter distantes nempe à 42 ad 52. tum vnum ex his gradibus latitudinis diuido in 180 aut 18. vel etiam nouem, si tabula fuerit angustior : ductoque Meridiano qui mediam regionem secabit ab vrâque eius parte supra parallelum quadragessimū quintum, partes 127. circiter decies replico aut duodecim si diuifero Gradum meum latitudinis in octodecim, vel sex si distribuero in nouem propter tabulæ exiguitatem. Tum transeo ad latitudinis Gradum quinquagesimū, & in eo 113. partes decies replico, vel partes vndecim, vel quinque cum dimidiâ, & ab illis punctis protractos Meridianos, pro ratâ portione Æquatoris habes inclinatos. Inde intelliges cur in omnibus tabulis particularibus Ptolemæi hæc verba semper ascribantur; Medius Meridianus est N. ad quem reliqui inclinantur iuxta rationem parallelorum N. & N. hic enim verbis nihil aliud quàm nostra methodus indicatur.

Scalam autem Milliarium sic appinges. Obseruabis duo loca cognitæ distantiæ, secundum quam tuam Scalam conficies:

si enim est accurata tabula, reliquorum locorum intercapedinem inuenies. Aut certè attendes ad latitudinem, cuius vnum gradum diuides in 30. Leucas Francicas.

Sed obseruabis hanc scalam non habere locum in Tabulis maiorum partium Mundi vt Europæ, & Asiæ. Sicut & has longè meliùs delineari, si portiones tabularum vniuersalium (de quibus supra) in eis exprimendis adhibeantur.

DE TABULA GEOGRAPHICA

